



70

4

1766  
1d

DISSERTATIO  
DE  
STATV  
REIPVBLICAE GERMANICAE  
SVB  
OTTONE PRIMO

P. 163.

PARS PRIMA

QVAM

EX AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS AVCTORITATE

SVB PRAESIDIO

CAROLI RENATI HAVSEN

HISTORIARVM P. P. ACADEMIAE MOGVNTINAE, ET HISTORICAE GOTTINGENSIS  
SOCH ORDINARI.

MENSE IVNIO MDCCCLXVI.

ERVditorVM EXAMINI SVBICIET

FRIDERICVS CHRISTLIEB VOGEL

BEROLINENSIS.

HALAE,

LITTERIS BEYERIANIS.











§ 1.

*Instituti ratio explicatur.*



um nuper historiam Germaniae conscriberemus, eamque nobis eligeremus rationem, ut magis in ingenio, moribus, institutis, legibus, vitiis ac virtutibus maiorum nostrorum adumbrandis, quam in bellis cladibusque describendis operam studiumque collocaremus: facile videbamus Germaniam tempore Ottonis primi tam varias expertam fuisse mutationes, ut diligens et accurata earum inuestigatio non solum Historiae Germanicae, sed etiam inprimis Iuri publico nostro multum lucis sit allatura. Egregie de Historia Germaniae meritus fuit celeberrimus Guilielmus Hoffmannus, cum in praestantissima disserta-

A 2

tionem





tione a) fata reipublicae Germanicae tempore, ut dicunt interregni exponeret: profecto vero nobis persuademus, si multi ex nostris hanc summi viri industriam imitarentur, et vicissitudines reipublicae Germanicae sub imperio cuiuscunque imperatoris tali modo et ratione illustrarent: summam inde ex Historia Germaniae in universam Jurisprudentiam redundaturam esse utilitatem. Hoc igitur viri doctissimi exemplo excitati, periculum ingenii nostri exigui industriaeque faciemus, et rempublicam Germanicam sub Ottone primo paulo curatius describere conabimur. Cum vero hoc ipsum argumentum inter multa alia negotia, quibus perficiendis dies noctesque operam impendimus, pertractare necesse fuerit, rogamus doctissimos lectores, ut aequum et mite de conatibus nostris ferant iudicium.

§. II.

*De provinciis Germaniae sub Ottone I. exponitur.*

Nolumus res gestas Ottonis primi repetere, quas iam dudum alii enarrauerunt b), et nos ipsi data veluti opera in historia Germaniae

a) Ius publicum quod in S. R. I. interregni magni temporibus obtinuit Francof. ad Viadr. 1736. recusa 1740.

b) Hahnus, Mascovius alii, et in primis Christian Wilhelm Franc. Walch: dissertatio de Ottone magno Italiae rege. ac Romanorum imperatore. Ienae 1746.





niae exposuimus *c)*: sed potius in formam reipublicae, quae tum temporis in prouinciis Germaniae obtinuit, inquiramus. Satis superque quidem constat, Saxoniam, Thuringiam, Sueuiam, Franciam Orientalem Lotharingiam et denique Bauariam prouincias Germaniae nostrae hoc tempore fuisse: nondum vero, qua auctoritate praediti fuerint duces comitesque in prouinciis extincta stirpe Carolingica, extra omnem dubitationem positum esse videtur. Superuacaneum profecto esset Iohannis Petri de Ludewig, *d)* et Nicolai Hieronymi Gundlingii, *e)* quorum memoriam semper Fridericiana nostra venerabitur, aliorumque de hac ipsa superioritatis territorialis in Germania origine sententias commemorare, et examinare: nos potius fata singularum prouinciarum breuiter enarrando,

A 3

omnium

*a)* Geschichte des menschlichen Geschlechts, soweit selbige in Europa bekannt worden, vom Anfange der Welt bis auf unsere Zeiten, parte prima p. 96. seq. volebamus quidem sequi initio Britannos, illos auctores Historiae yniuersalis, cum vero partem illam, in qua Germanorum res gestae exponuntur, non consequeremur, nouam Historiam Germaniae conscribere conati sumus.

*d)* Dissertatio Germania princeps post Carolingica sub Conrado I. Halae 1710. Henricus auceps historia anceps, Halae 1713.

*e)* De statu reipublicae Germanicae sub Conrado I. Franciae orientalis rege, Halae 1706. Eiusdem liber de Henrico Aucepe Franciae orientalis saxonumque rege, Halae 1711. Hertius de superioritate territoriali in opusculis et alii.





omnium optime et imperatoris iura ac auctoritatem, et quicumque potestatem his temporibus definire poterimus. Age vero videamus de singulis Germaniae prouinciis.

§. III.

*Fata Saxoniae enarrantur.*

Deiuncta a Carolo magno saxoniam, comitibus e genere Saxonica, qui vero deinceps etiam duces nominati sunt, ad administrandum tradita fuit. Prodidit rem memoriae fide dignus illorum temporum scriptor Eginhardus, qui in Annalibus ad annum DCCCXV. narrat: *Tunc omnes saxonici comites cum legato imperatoris Balderico — ad auxilium Hennibolti ferendum — peruenerunt.* f) Celebratur vero etiam post tempora Caroli magni fortitudo Saxonum, adeo ut cum finitimis populis tuendae amplificandaeque gloriae Francorum causa, cruenta saepe gesserint bella. Laudatur imprimis in Annalibus *Ecbertus* quidam comes Saxoniae, tempore Ludouici pii, vel potius dux; quemadmodum docet Leibnitzius in introductione in

f) Plura loca vide in dissertatione nostra: Notitia Saxoniae sub Carolo magno, Lipsiae 1761. in qua simul ex legibus scriptorumque aequalium locis ostendimus, saxonos eadem iura easdemque praerogativas consequutos fuisse, quibus Franci uterentur, neque ad hanc libertatem saxonum euincendam falso et falso diplomate indigemus, quod protulit *Adolph Meinderfen* in Vindici. libertatis saxonicae, Lemgoviae 1711.





in scriptores rerum Brunsvicensium g). Post Ebertum usque ad Ludolphi magni tempora tanta res gestae saxonum in historiarum monumentis caligine sunt oppletae, vt etiam post summos virorum doctissimorum labores ne quidem de genitore Ludolphi aliquid certius constet. h) Ducatum Saxoniae eum tenuisse non solum ex diplomatis horum temporum, i) sed etiam ex loco HROSwithae, satis liquet. Ita enim canit:

*Hinc nam Francorum regis HLudouici  
Militiae primis adscriptus pene sub annis  
Ex ipso digne summo sublatus honore  
Gentis Saxonum mox suscepit comitatum  
Ac cito, maiori donatus munere iuris  
Principibus fit par, Ducibus sed nec fuit impar k).*

Lu-

g) Verba eius sunt: *Ebertus is fuit, Idae maritus, qui est silo curiae Comes tantum, Ducis tamen potestate et apud vulgus nomine sub Ludouico pio Saxoniam rexit. Administrauit in vniuersam Saxoniam; interdum dux, mox comes nominatur, ex more scriptorum huius aetatis, qui vocem ducis, principis, regis, comitis, nunquam accurate discernunt, propterea quod neque mutationes in republica, neque proprietatem verborum curauerunt.*

h) Multa quidem ex more suo ad eam rem congescit Pffingger ad Vitirium tom. II. p. 94. seq. sed ipse recte ait: *qua vero auctoritate haec? ubi diplomata? Chartae publicae? Chronica coaeva? quorum fide probentur.*

i) Pffingger l. c. p. 95.

k) In Leibnitzii collectione scriptorum rerum Brunsvicensium tom. II. pag. 319.





Ludolpho successit in Saxonia Bruno, qui in bello aduersus Normannos tempore Ludouici Germanici occubuit. Nominatur ille in nonnullis diplomatibus dux, in aliis comes. Post Brunonem Otto commemoratur, clarus imprimis, quod regiam Germaniae dignitatem recusauerit, populisque Conradum, duces Franconiae commendauerit *l*). Aemulabatur paternas virtutes filius eius, Henricus primus, qui post parentis mortem, occupata Thuringia et Saxonia, Conradi regis Germaniae auctoritatem negligeret, et *primus* ut Witichindus libro primo Annalium narrat *libere regnaret m*). Succedebat quidem iam his temporibus plerumque patri filius vel in comitatu, vel in ducatu: ex qua tamen successione origo superioritatis territorialis in prouinciis Germaniae nullo modo deduci poterit. Conradus vero, qui nimiae potentiae ducis Saxoniae aduersaretur, (quippe Thuringiam et Saxoniam tenebat) eam ipsam ob successionem diuturnum cum eo gessit bellum, in quo tamen adeo strenue rem suam egit Henricus, ut pace anno DCCCCXVIII. facta, paternam feliciter obtineret haereditatem. Postea tempore Ottonis primi, cum ille regiam Germaniae consequeretur dignitatem, noua rerum in Saxonia exoritur mutatio.

## §. IV.

*l*) Conferatur: Geschichte des menschlichen Geschlechts, parte prima.

*m*) Haec ipsa loca interpretati sumus in Historia Germaniae parte prime.



## §. IV.

*Continuatur argumentum.*

Sifrido comiti Merseburgensium, primis imperii sui in Germania annis, Otto Saxoniam contra irruptiones hostium defendendam tradidit. Ita enim Witichindus libro secundo Annalium: — *Sifridus vero saxonum optimus, — eo tempore procurabat Saxoniam, ne qua hostium interim irruptio accidisset.* Excitatur interea graue in Bohemia bellum a duce *Boleslao*, qui fratrem *Wenzeslaum* interfecerat *n*). Ad hoc igitur bellum sedandum mittitur primum *Aefico* Comes martisburgensis cum sua et Thuringorum manu: cum vero ille parum prospere rem gereret, nouus princeps militiae eligitur *Hermannus Billungus*.

Rem ita memoriae prodidit *Witichindus* Annal. libro secundo: *Placuit igitur nouo regi nouum principem militiae constituere, elegitque ad hoc officium virum nobilem nomine Herimannum.* De hoc ipso *Herimanno Bilungo*, natalibus, fatis, dignitatibusque eius adeo omnia incerta et obscura in annalibus reliquisque historiarum monumentis sunt, vt etiam post doctissimas virorum celeberrimo-

*rum*  
\*) De hoc ipso bello confer *Geschichte des menschlichen Geschlechts*, parte  
qui prima.



rum lucubrationes, *Meibomii o*), *Scheidii p*), *Senckenbergii q*),  
 et *Ayreri r*), (alias vt silentio praetereamus) multae dubitationes  
 superesse videantur.

Hoc certe constat, primam dignitatem, quam consequutus fuit  
 Hermannus noster, fuisse, vt exercitui contra Bohemos, cui bello  
 ipse intererat Otto, dux et princeps praeficeretur. Qua propter  
 emendandus est *Iohannes Iacobus Mascouius*, vir de Iure publico  
 et historia Germaniae optime meritus, cum in commentariis p. 34.  
 tradit: *iam tum temporis Ducatum Saxoniae accepisse Herman-*  
*num*. Hoc in bello maximopere enituit prudentia et fortitudo Her-  
 manni, adeo vt carus inprimis Ottoni redderetur, qui eum deinceps  
 maioribus honoribus, quid? ipso ducatu Saxoniae dignum iudicauit.  
 Consideremus vero ea paulo diligentius et sigillarim.

§. V.

- o) Henrici Meibomii *Vindiciae Billungianae* adiectae collectioni scriptorum  
 rerum germanicarum.
- p) *Origines Guelficae*.
- q) In libro: *Gedanken von dem jederzeit lebhaften Gebrauch des uralten  
 deutschen bürgerlichen, und Staatsrechts in denen nachherigen Reichsgesetzen  
 und Gewohnheiten*.
- r) Hermannus *Officione an gente Billungus? Disquisitio* Gottingae  
 MDCCLXI.



*Vicariatus Saxoniae explicatur.*

Posteaquam filius Ottonis Ludolphus ciuile in Germania excitaret bellum, et Otto ad Moguntiam obsidendam properaret, administratio Saxoniae tradita fuit Hermanno. Incidit vero hoc ipsum ciuile bellum in annum nongentesimum quinquagesimum tertium. Igitur origo Vicariatus Saxoniae, siue administrationis non in haec tempora ponenda est, quibus Otto altera vice profectus fuit in Italiam, sicuti existimat celeberrimus *Ayzer* in eruditissima commentatione, iam a nobis commemorata, cum ait §. XXVI *eminentiorem inter palatinos in aula Ottonis locum adeptus est, vicariatum nempe Saxoniae, cum ille anno DCCCCLXI. Italiam peteret.* Aperte rem tradit *Witichindus* Annalium libro tertio: *Militante aduersus Moguntiam rege Herimannus dux saxoniam procurabat.* De hoc ipso vicariatu, siue illa procuratione Saxoniae ita obscure *Witichindus*, et *Ditmarus Merseburgensis* narrant, vt recentiores scriptores multas protulerint coniecturas, quibus vero confirmandis et aliis opus esse videtur. *Gewoldus* in libro de *Septemuiratu* capite XI. existimat: Hermanno curam vniuersae Germaniae administrandae demandatam fuisse; quae vero sententia plane a fide scriptorum





aequalium aliena iam dudum fuit reiecta, et inprimis a *Tollnero s)*, et *Pfessingero t)*, refutata.

Alii Hermannum inter comites palatii tum temporis referunt, inprimis *Heydenreichius u)*, qui quidem comites palatii tempore Carolingidarum tantummodo in aula regia versabantur, et de controuersis cum in ipsa aula, tum de grauioribus in prouinciis exortis, iudicauerunt: postea vero extincta stirpe Carolingica illi comites palatini vices regis absentis in prouinciis gesserunt, et in vniuersum in locum missorum dominicorum successisse videntur. Vberius vero de his ipsis comitibus palatinis, qui prouincias administrarunt, in parte tertia huius dissertationis exponemus. Ex sententia itaque *Heydenreichii*, vt rem breuiter repetamus, comes palatii seu Palanz Grauius factus fuit *Hermannus noster*. At enim vero nititur illa sententia interpretatione loci, ex *Adamo Bremensi* desumpti, cuius tamen fidem in enarratione rerum, quae his temporibus acciderunt, plane improbamus et reiiicimus. Contraria vero ex parte *Albertus Fabricius*, in *Originibus Saxonice* l. 11. p. 161. et *Rerum memorabilium Saxonicarum* l. 1. p. 123. existimat *Hermannum* custodiam

limitis

s) In *Historia palatina* c. VIII. p. 203.

t) *Ad Vitriarium* tom. I. p. 982.

u) In dem Entwurf einer Historie der Pfalzgrafen zu Sachsen, c. 3. p. 37.





limitis Saxonici traditam fuisse. Hoc certe constat, Hermannum cum conterminis Sclavis bella gessisse, et Saxoniam contra irruptiones *Vagriorum*, *Abodritarum*, *Rhetariorum* defendisse: quemadmodum Geronem Lusatos subegisse patet. Eam ob causam etiam Mascovius in commentariis bene distinguit *Marchiam Geronis et Hermanni*. Nollem tamen verba *Witichindi: Hermannus Saxoniam procurabat*, ita interpretari, alias enim profecto Wirichindus, et alii Marchiam Geronis iisdem verbis indicauissent.

Existimo vero Hermannum et administrationem, et defensionem Saxoniae suscepisse, cum in locum absentis Ottonis succederet: id ipsum vero cum ex locis Witichindi, tum ex vniuersa rerum gestarum serie facile confirmari potest. Ex quo porro colligitur neque comitem palatii Hermannum, vti putat *Heydenreichius*, nominari posse: neque vero eo sensu marchionem, quemadmodum de Gerone legimus, quae est sententia *Fabricii*. *Procurauit Saxoniam*, hoc est, administravit, eoque munere ita defunctus fuit, sicuti Otto imperator, eamque ob administrationem, quodam modo inter comites palatii, et propter defensionem Saxoniae inter marchiones referri potest. Secunda vice Hermannus Saxoniam administravit, cum Otto anno DCCCCLXI. in Italiam proficisceretur.





tur. Exstat epistola Ottonis primi ex castris prope Capuam ad Hermannum conscripta, quam Witichindus l. III. Annalium reliquit *x*). Denique ducatum ipsum Saxoniae Hermannus accepit.

## §. VI.

*Ducatus Saxoniae sub Ottone primo illustratur.*

Non solum de tempore, quo haec memorabilis in Saxonia accedit mutatio, sed etiam de natura finibusque illius ducatus summa inter viros doctos exorta fuit disceptatio. Post reditum ex Italia statim tradidisse Ottonem ducatum Saxoniae Hermanno, ex ipsa rerum gestarum serie omnium optime colligitur. Etenim rebus in Italia compositis, reuertitur Germaniam, proximum pascha (sequimur Witichindum) celebrat Quedlinburgi, ibi mansit dies XVII, petens inde urbem Martisburgum. Witichindus Annalium libro tertio: *Tristis autem illa loca perambulabat, obitu optimi viri ducis Herimanni, qui prudentiae ac iustitiae miraeque vigilantiae in rebus civilibus et externis cunctis retro mortalibus aeternam reliquit memoriam.* Conuentus vero Quedlinburgi celebratus fuit anno DCCCCLXII. Paulo distinctius mortem Hermanni memorie prodidi-

a) Nonnulli dicunt etiam Hermannum educationem liberorum Ottonia suscepisse: non probo, confer tamen commentationem illustris Ayzeri §. XXV.





prodidit Ditmarus Merseburgensis libro secundo pagina mea 337. y).  
*Dehinc iuit ad Quedlinburg — Herimannus autem dux ibi tandem  
moriens imperatoris gaudia turbauit.* Videamus vero de Ducatu  
Saxoniae ab Ottone ad Hermannum familiamque illius translato.  
Non vniuersa, vti nonnulli existimarunt, tradita fuit Saxonia Her-  
manno eiusque posteris, quemadmodum facile ex ipsis rebus gestis  
post Ottonem primum cuiusque probari poterit. Concessa igitur  
ei fuit dignitas ducis, illaque terra, quae circa Altim Schlaucis ere-  
pta fuerat gentibus. Protulit iam hanc sententiam *Gribnerus z)*,  
ex auctoritate Chronici Brunsvicensis. Cuius verba haec sunt: a)

Nun wußt er nicht wem er (Otto) mocht  
Befehlen das neue Land,  
Das bezwungen hat sein Hand,  
Daß es des Glaubens pfleg,  
Ich mein, das um die Elbe lag,  
Allenthalben, daß er mit Noth  
Bzwang sein königlich Geboth,

Da

y) In Leibnitzii collectione scriptorum rerum Brunsvicensium, tomo primo.

z) In Exercitatione iuris publici: de iuribus Palatinatus Saxonici Ducis  
electori propriis Witembergae 1715. §. 5.

a) Apud Leibnitzium tom. III. p. 22.





Da macht er zum Herzogen  
 Hermann, des was er unbetrogen  
 An ihme, als ich vernommen han,  
 Und hieß ihn, von Sachsen Herzog Hermann.

Ex more illorum temporum, cum imperatores viris fortitudine et rebus gestis claris plerumque terras populis bello ademptas tamquam beneficium hoc est feudum concederent. Qua propter etiam recte illustris *Estor* in eruditissimo commentario de ministerialibus capite primo §. 43. scribit: *Hermannum Billingum ab Ottone magno Ducem Saxoniae fiduciarium constitutum esse.* Hic Ducatus Saxoniae haereditarius, siue beneficium vel feudum, mansit etiam in familia Hermanni vsque ad annum MCXVI. quo tempore, extincta stirpe cum duce *Magno*, datum fuit ab imperatore Henrico quinto Lothario comiti Supplingenburgenfi. Ab hoc vero feudo, siue ducatu Saxoniae, terras allodiales, quarum meminit *Meibomius b)*, in primis terram Brunsvicensem et Luneburgicam, vt distinguamus, necessarium esse videtur. Nullo modo illae in comitatum datae fuerunt ab Ottone primo Hermanno, qui est error *Leyseri* in dissertatione *de feudis Brunsvicensibus et Luneburgicis.* Contraria vero ex parte fuisse has terras patrimoniales, facile lectoribus probare poterimus,

b) In Vindiciis Billingianis.



terimus, cum ex eo, quoniam extincta stirpe ducis *Magni* terra Brunsvicensis et Luneburgica non tradita fuit Lothario, sed pervenit ad Henricum nigrum ducem Bauariae e Guelfis, quoniam haberet in matrimonio filiam ducis *Magni Wulfildim*. Deinceps vero etiam hoc ipsum satis constat ex diplomate proscriptionis Henrici Leonis ab illustri *Sebeidio*, praestantissimo libro *Originibus Guelficis* inserto c). Vocatur eam ipsam ob terram dux in Chronico Brunsvicensi picturato apud Leibnitium tom. III. p. 317. Verba Chronici sunt: *Alse makebe de Konser dussen Hermen to eynem Hertoghen, unde scholke syn eyn Hertoghe to Sassen unde Lunenborch*. Et in chronico montis Sereai ad annum MCLXI. occurrit dux a Luneburg, alia ut silentio praetereamus loca, quae iam protulit Pfeffingerus d). Nullo modo vero ex eo colligere poterimus has terras feuda fuisse, cum iam demonstratum fuerit, in vniuersum dignitatem ducis accepisse Her-

c) Tomo III. pag. 101. seq. Confer etiam doctam commentationem Petri Plesken *de patrimonio Henrici Leonis* Gottingae 1752. miror tamen potuisse adeo negligenter p. 22. scribere: *De Billungis omnia sunt in aprico et me refero ad Gebhardi dissertationem* de factis heroicis ducum Brunsvicensium. Legas vero hanc dissertationem Ienne 1720. habitam, et reperies parum dixisse Gebhardi de hoc argumento, vel potius ne quidem fata Billungorum attigisse.

d) Tom. II. ad Vitriarium p. 206.





Hermannum, et inde vox *ducis* promiscue cum de bonis feudali-  
bus, tum allodialibus vsurpata fuit *e*). Sed satis diu in satis Saxo-  
niae enarrandis versati sumus, progrediamur ad Thuringiam.

§. VII.

*Fata Thuringiae enarrantur.*

Deiictis a populo Francorum Thuringis, terra Thuringica,  
sicuti Bauaria et Aquitania, agnoui sub ducibus imperium Franco-  
rum *f*), quod quidem saepius detestare conabatur, parum tamen  
felici successu, et ad vltimum a Carolo Martello Pipini filio in po-  
testatem redacta fuit. Deinceps in diuisione illa notissima imperii  
Francici post mortem Ludouici pii Thuringia cum reliquis prouin-  
ciis

*e*) Non multum a veritate alienus *Gregorius Leri* in *Historia della casa di Sassonia l. 1. p. 21.* non tamen ab omnibus erroribus liber cum ait: *Divise questo Imperatore la Sassonia in due parti, inferiore e superiore; dell' inferiore ne investì Hermannò Billingo Sodato di fortuna più che di nascita, essendosi meritato questo principato dalla liberalità d' Ottone, rispetto alla gran fedeltà et al gran valore con che lo seruì in quelle tante guerre contra ai suoi nemici, e per impresa gli diede uno scudo con un Leone in campo bianco con alcune macchie disperse per lo campo ch' è al presente l' insegna del ducato di Lunebourg, circa d' sia castello che fù fabricato sopra un monte da questo stesso Hermannò.*

*f*) *Sagitarium* de antiquo stata Thuringiae.



ciis Germaniæ ad Ludouicum germanicum peruenit. Hoc tempore laudatur in annalibus *Thachulfus* Thuringiæ dux, qui cum populis Sclauicis fortiter pugnauit, et Germaniam contra eorum irruptiones tutam reddidit. Inde nominatur in Annalibus *Dux Sorabici limitis*, et vt alia omittamus testimonia vnum tantum locum ex Annalibus Francorum Fuldenlibus g) petiitum proferemus qui ad annum DCCCXLIX. scribunt: *Per legatos ad Thachulfum directos promittunt, cui prae caeteris credebant, quasi scienti leges et consuetudines Sclauicæ gentis. Erat quippe dux Sorabici limitis.* — Successit in ducatu Thuringiæ *Thachulfo Ratolfus*, cuius fortitudinem laudant Annales horum temporum. Post *Ratolfum Poppo* præfuit Thuringiæ, et quidem summa auctoritate. Ille ciuile bellum gessit cum *Eginone*, comite Saxoniae anno DCCCLXXXII. et iterum anno DCCCLXXXIII. vtroque in bello in fugam coniectus. Ita Annales Francorum Fuldenfes ad annum DCCCLXXXII. narrant: *Magna post clade Poppo cum Thuringis inferior exstitit.* Et ad annum DCCCLXXXIII. *Iterum inter Popponem et Eginonem discordia cum crudeli bello concrepat: quorum Poppo, prout antea solebat, inferior exstitit.* Magna floruisse eum auctoritate in Thuringia tempore Arnulphi,

C 2

quem

g) In collectione scriptorum rerum Francicarum cura Du Chesne tom. II.





quem Germania sibi, posteaquam Carolus Crassus sese abdicauerat imperio, elegerat regem, discimus ex loco *Rheginonis*, qui aperte tradit, eius consensum non secus ac regis Germaniae ad electionem archiepiscopi Moguntini requisitum fuisse. Memorabilis profecto locus est huius Chronographi adeo ut nullo modo dubitemus eum penitus describere. Ita vero ille ad annum DCCCLXXXIX. *b)* *His etiam diebus Luidpertus Moguntiae urbis praeful, e rebus humanis sublatus est, in cuius loco subrogatus est Sunzo — Poppone Thuringorum duce, et Arnolpho rege annuente.*

Minus vero diuturna fuit haec felicitas, atque potentia. Etenim anno DCCCLXXXII. feudo suo siue ducatu Thuringiae a rege Arnolpho priuatus fuit. Rhegino ad hunc annum: *Poppo dux Thuringorum dignitatibus exspoliatur.* Iisdem verbis rem narrant Annales Francorum Fuldenfes, et alii. Nullam vero causam tam celeriter mutatae fortunae, ex more suo memoriae proderunt scriptores; quam tamen forsitan ex ipsa rerum gestarum serie coniectura assequi poterimus. Rhegino narrat: Episcopum Wirzburgensem horratu iussuque ducis Popponis bellum eum Sclavis

*b)* Libro II. p. 66. in coll. scriptorum rerum Germanicarum Pistorij confer etiam ab Eccard commentarios de rebus Franciae Orientalis libro II. p. 68.



vis gessisse, in eoque occisum fuisse. Post hanc narrationem statim addit: *Poppo dux Thuringorum dignitatibus exspoliatur.* Qua propter non omnino a veritate alienum esse videtur, si existimamus ob bellum propria auctoritate inchoatum, et minus feliciter gestum Popponi ducatum a rege Germaniæ fuisse ereptum. Igitur non adeo male Pseffingerus ad Vitriarium tomo II. p. 214 scribit: *His ipse annus duci nostro fuit exitialis potentiam suam forte iusto nimis extendenti.*

§. VIII.

*Continuatur argumentum.*

Posteaquam vero Poppo *i*) amiserat ducatum Thuringiæ traditur ille a rege Conrado.

Is Conradus fuit filius Werinheri comitis, et pater regis Germaniæ Conradi *k*) Nominatur quidem in Annalibus tantum modo Comes, ex more vero illorum temporum. Vix vero hunc obtinuerat ducatum, cum ei sua sponte renunciaret. Ita enim Rhegino ad annum DCCCLXXXII: *Ducatus, quem tenuerat (Poppo) Conrado commendatur, quem pauco tempore tenuit, et sua sponte*

C 3

eum

*j*) Habuisse Popponem filios *Adalbrabrum* et *Popponem* ex Charta quae extat in traditionibus Fuldensibus ostendit Eccardus l. c. p. 731.

*k*) Meibomius in notis ad Witichindum.





eum reddidit. Deinde Burckhardo comiti committitur, qui cum  
 haftenus strenue gubernat. Ille vero Burckhardus in bello con-  
 tra Hunnos, qui deuaftarent Thuringiam anno DCCCCI X. occi-  
 sus fuit *l*). Post Burckhardum ad Ottonem illustrem ducem Saxo-  
 niae peruenisse videtur ducatus Thuringiae *m*). Id ipsum ex vni-  
 versa rerum gestarum serie facile colligi potest. Notum enim est  
 ob largam haereditatem, (Ducatum Thuringiae et Saxoniae intel-  
 lige) bellum inter Conradum et Henricum exortum fuisse, de quo  
 bello iam suo loco exposuimus. Henricum utrosque ducatus obri-  
 nuisse inter omnes constat, et tempore operaque, in re notissima te-  
 stimoniis confirmanda abuti nolumus. Otto primus deinceps sicuti  
 in Saxonia, ita etiam in Thuringia Henrico primo successit, et ab  
 hoc

*l*) Fuit is antea comes Grapfeldiae et ministerialis sicuti ex Diplomate Ec-  
 cardus l. c. p. § 19, ostendit. Et fator tribus Buzici, a Ditmaro l. 6. in-  
 dicati confer *Eccardi Historiam genealogicam principum Saxoniae superio-  
 ris. p. 45.*

*m*) Pffingerus quidem tomo II. l. c. negare et innuere videtur, quasi du-  
 catus Thuringiae ad Brunonem fratrem Ottonis peruenire potuerit cum  
 p. 215. ait: *Sed Ottonis fratri Brunoni iam prius tota paruit Saxonia.*  
 Quid inde ergo etiam Thuringia? miror, nam Bruno occubuit in bello  
 aduersus Normannos anno DCCCCI XXX. conferantur Annales Fran-  
 corum Fuldenfes ad hunc annum, et alii, quo tempore ducatum Thu-  
 ringiae tenuit Poppo.



hoc tempore Thuringia in familia Saxonica mansit, adeo ut ne nomen ducatus Thuringiae amplius in annalibus, reliquisque historiarum monumentis reperiatur. Exstat in collectione scriptorum rerum Germanicarum a Pistorio edita *Historia Landgravorum Thuringiae* fabulosa innumerisque erroribus deformata, cuius auctor secundum morem suum, hoc est contra omnem veritatem tradit: Ottonem primum Thuringiam filio suo naturali Wilhelmo archiepiscopo moguntino eiusque successoribus in perpetuum administrandam tradidisse. Hanc ridiculam sententiam ex recentioribus scriptoribus etiam sequutus fuit Lehmannus in *Chronico Spirensi* et alii, quid? hanc ipsam fabulam in controuersia Iuris publici nouissima testimonii loco adhibitam fuisse valde miramur.

Eam vero intelligimus, quae superiori saeculo anno MDCXLVI, eum elector Moguntinus ciuitatem Erphordiensem occupare tentaret, inter senatum, populum Erphordiensem et electorem saxoniae, ab vna parte, ab alia vero inter archiepiscopum moguntinum exorta, et acriter agitata fuit. Recte vero tum temporis illi scriptores *n*), qui iura Saxonicae domus defendenda susceperant, omnino testimonia illius *Historiae Landgravorum* reiecerunt. Ex aliis profecto rationibus scriptores causae Moguntinae rem suam contra electorem

saxo-

*n*) Pfeffinger l. c. tom. II. p. 216.





saxoniae agere, et iura principis sui defendere potuissent. Hoc vero ex diplomate anno DCCCCLII. Quedlinburgensi ecclesiae ab Ottone primo dato constat, Wilhelmum nonnullas terras allodialles in Thuringia accepisse o), et ex hac donatione, quomodo etiam recte monet Pffeffingerus p), vniuersa forsitan exorta fuit fabula.

## §. IX.

*Peroratio.*

His expositis nunc fata Sueviae enarranda essent. At enim vero cum ob iter imminens viri ornatissimi, qui partes defensoris suscepit, tum ob variorum negotiorum multitudinem, reliquarum provinciarum fata in parte secunda huius dissertationis illustrabimus. In tertia vero parte reliques vicissitudines reipublicae Germanicae sub Ottone primo explicabimus, et ita de origine comitum palatinorum in provinciis: de re feudali in Germania: de legibus ac Con-suetudinibus: de diffidationibus: de re monetaria: et denique de Commerciis Germaniae exponemus. Demonstrata vero ex historia Ottonis primi re ciuili Germanorum, denique in parte quarta rem sacram Germaniae paulo curatius describere conabimur. Illustrabimus

o) Lunig parte secunda des Reichsarchivs Contin. 2. fünfte Heftung, p. 856.

p) l. c. p. 218.



mus vero, sententia nostra in vniuersum de religione horum tempo-  
rum libere, vti solemus, et ab omni partium studio alieni dicta, po-  
tentiam episcoporum, historiam novorum episcopatum, imprimis  
archiepiscopatus Magdeburgensis, iuraque primatis Germaniae an-  
tiquis temporibus, vsunque eorum et nostra aetate ostendere ela-  
borabimus, quod argumentum tractatum quidem fuit a *Iohanne Pe-  
tro de Ludewig q*), sed non absolutum esse videtur. Inde in vni-  
uersum de iure imperatoris circa sacra, porro de conciliis, de mo-  
nasteriis, denique de Litteratura Germaniae sub Ottone pri-  
mo disputabimus, et ita vniuersum argumentum  
perorabimus.

q) In dissertatione: iura primatus Germaniae Halse 1707.





ORNATISSIMO  
DEFENSORI

S. P. D.

PRAESES.

**A**nus fere circumactus est, amicissime Vogeli, ex quo a potentissimo sapientissimoque Rege historiae docendae causa vocatur, ad vestram accessi misarum sedem. Timidus reliqui dulcissimam patriam, patriam cui Deus aeternum faueat. Etenim imago summorum virorum, qui olim hanc academiam ingenii praeslantia, doctrinae ubertate, et famae magnitudine illustrauerunt, et hodie illustrant imago Ludouici, Gundlingii, Heineccii, et aliorum animo obuersabatur meo adeo, ut facile intelligere possem me parum gratiae gloriaeque in acadenia collecturum esse, in qua praestantissima Historiarum et civilis prudentiae studia sedem suam domiciliumque veluti habere viderentur. Laetiori vero mox animo litterarum prosequi poteram studia, cum exiguitatem ingenii nostri doctrinaeque summa humanitate virorum celeberrimorum; et amore commilitonum doctissimorum adiuuari sustentarique intelligerem. Liceat mihi palam commemorare et praedicare fidem et beneuolentiam omnium praestantissimorum doctorum huius academiae, (nam quae iucundior potest esse recordatio liceat

iure



iure gloriari de non aucto, (nani quomodo augeri possit amor, cui omnia nostra post Deum debemus) sed retento erga nos animo illustri Klotzii. Ita etiam nobis gratulari possumus de favore constantiaque qua commilitones amantissimi nostra prosequuti sunt studia, adeo ut illis rationum disciplinamque, qua in Historia et civili prudentia tradenda utimur, non plane improbari intelligeremus, Scis omnium optime ornatissime Vogeli ea non ostentationis, aut vanae gloriolae captandae gratia a nobis proferri, cum non solum nostris praelectionibus diligentissime interfueris, sed etiam tantum fiduciae in tenuitate ingenii nostri collocare, et me veluti comitem tuarum virtutum eligere non dubitaueris. Difficillimum profecto argumentum ex intimis penetrabilibus historiarum explicandum tibi sumfsti, adeo ut et difficultate argumenti, et imprimis modestia tua, (quam vero virtutem magis laudare possumus in iuvene) commotus, me in societatem laborum tuorum vocares. Obtemperavi voluntati tuae, multis variisque laboribus oppressus, cum, ut animum meum Tibi probarem, tum memor summi beneficii a maximo Rege, commendatione indulgentissimi Maecenatis (cui vero non amabile, sanctissimumque musis nomen perillustri Fürstii succurrat) nobis concessi, ut ita aliqua ex parte disciplinae nostrae redderemus rationem. Parenti vero Tuo viro plurimum Reuerendo et doctissimo optime Vogeli gratulor hodiernae diei solennitatem, gratulor patriae cinem doctum, Deumque immortalem rogo ut breui tempore fructus doctrinae tuae, morumque integritatis colligas vberrimos. Ita vale, et de me Tibi velim persuadeas me nulli tuorum vnquam vel fide vel amore

esse cessurum.





AMICO SVO DOCTISSIMO  
ERNESTVS CHRISTOPH. NETEBVSCH,  
QVEDLINBVRGENSIS

S. P. D.

Gratulor tibi, Doctissime Vogeli, quam maxime de honore, qui  
hodie tibi contingit, ut non solum dissertationi Tuae inter-  
esse, sed etiam ipsas opposentis partes possim sustinere. Multo  
vero magis gratulor Tibi de insigni doctrina Tua, cuius certissime  
breuissimo tempore amplissima consequeris praemia. Certissime  
vero Tibi persuadeas me Tuorum officiorum memoriam gratissimo-  
semper retenturam esse animo, rogoque ut me etiam absentem hac  
amicitia, hacque Tuo amore, qui iucundissimus tibi semper  
erit, dignissimum esse iudices. Ita vale. haec est voto-  
rum memorum summa.



Halle, Diss., 1766-67

ULB Halle 3  
002 057 565




56

Rehro v











B.I.G.

Farbkarte #13

10

DISSERTATIO  
DE  
STATV  
REIPVBLICAE GERMANICAE  
SVB  
OTTONE PRIMO

1766  
1d

P. 103.

PARS PRIMA

QVAM

EX AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS AVCTORITATE

SVB PRAESIDIO

CAROLI RENATI HAVSEN

HISTORIARVM P. P. ACADEMIAE MGVNTINAE, ET HISTORICAE GOTTINGENSIS  
SOCH ORDINARIJ.

MENSE IVNIO MDCCXLVI.

ERVditorVM EXAMINI SVBIICIET

FRIDERICVS CHRISTLIEB VOGEL  
BEROLINENSIS.

HALAE,

LITTERIS BEYERIANIS.

